

154

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
MORALITATE
LUDORUM ALEÆ,

Cujus PARTEM PRIOREM
EX CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.
IN REGIA ACADEMIA ABOENSI
PRÆSIDE
MAG. JOHANNÉ BILMARK,
HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE ORDIN.

Publico examini subjicit
SVENO BREDING,
Westrogothus,

IN AUDITORIO MAJORI Die XXVII Februarii
Anni MDCCLXXXII.

A B O Æ
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKEL



PRÆFATIO.

Ingeniorum humanorum quanta sit diversitas, vix aliunde magis constat, quam ex dispari, quo tempus collocare soleant, modo. Docet enim experientia, nonnullos suis negotiis ita intentos esse, quasi non dierum solum, sed singulorum quoque minorum ratio ipsis actutum esset reddenda; aliis contra de eo sollicitis, ut horas commode fallant, ac continuis voluptatibus corpus animumque pascant. Enimvero tam illi, qui nullas, quam hi, qui perpetuas sibi sumunt ferias, a justo rationis ac virtutis tramite deflectunt. Sicuti enim continuo sive motu sive situ firmissima etiam corpora vel atteruntur vel corrumpuntur, ita quoque experimur; animi nostri alacritatem & corporis vires nimio vel labore vel otio quasi exhauriri, ut rebus gerendis parum idonei reddamur; id quod tanto minus mirandum, cum res etiam inanimata nobis inservire recitent, nisi quandam laboris vacationem obtineant. Novimus enim, agros, quantacunque polleant fertilitate, frugibus tamen continuo ferendis evadere impares, nisi alternis ferme annis requiem quandam illis concedamus, ut interea colligant succum, ad augendam insequentis messis ubertatem plane necessarium. Eundem in modum nobis etiam convenit, post assiduos labores spiritum ac vires colligere, & negotia nostra, dum molestia eorum

sensus

sensus ingruerit, liberali quodam otio dispungere. Pleisque autem hominibus satis non est, illa frui hilaritate, quæ ex successu laborum rite exantlatorum provenit, et simplici requie, quam unicuique paravit natura; sed uti ingeniosa est mortalium sollertia, ita varios invenit modos, agmina curarum dissipandi, ut continua hilaria illam explerent vacuitatem, quam in vitæ suæ curriculo illi præsertim experiuntur, quibus inde a teneris impense favit fortuna. Inter alia igitur instituta, quæ luxus atque vanitas hominum induxerunt, sunt multiplices ludi, quibus in genere solet indigitari quodvis ludicrum, ad animi & corporis recreationem excogitatum; in specie autem ad illos pertinent certamina voluntaria, quibus adjuncta est conventio, qua certantes paciscuntur, ut leges ab ipsis præscriptæ observentur, & victori certa pecuniæ aut bonorum summa in præmium cedat.

§. I.

In ipso dissertationis nostræ limine observamus; quod tria ludorum genera distingvere soleant Philosophi: nonnullorum enim successus a certantium vel ingenio & sagacitate, vel viribus & agilitate dependere creditur; aliorum vero exitum nuda fors ita regit, ut humana ad illum nihil conferat industria; in cæteris denique obtinet connubium casus & ingenii aut cujusdam veluti gustus, in quibus proinde regulæ combinationis plurimum valent. Ad primam classem referuntur solutiones ænigmatum, in quibus certatur, an quis obscurius rem proponere possit, an cæteri argutius solvere, qualia liberalium ingeniorum certamina, antiquissimis populis in præcipuis fuisse deliciis, Historia tam Sacra, quam Profana evineit. Huc etiam pertinent exercitia

A 2

vete;

) 4 (

veterum Heroica, & qui ab Auctoribus passim celebrantur, Ludi Circenses, Scenici, Palatini, Apollinares, nec non certamina Equestris vulgo Torneamenta dicta. Enimvero si horum ludorum rationem propius consideremus, constabit, quod casus etiam hic in aliquam felicis eventus partem venire soleat. Sicuti enim circumstantiæ, uni magis, quam alteri forte obviæ, illius imaginationem atque ingenium magis, quam hujus mentem excitant ad inveniendam ænigmatis propositi solutionem; ita in cæteris exercitiis, vel præsens animi & corporis constitutio, vel peculiaris quidam motus, cujus utriusque ratio vix alibi, quam in casu quodam non præviso est quaerenda, jam certantis spem erigit, jam rursus facit, ut ipse præter opinionem de gradu deiciatur. Immo ipsa castum, qui inter ludendum interveniunt, varietas facit, ut ludi nos delectent. Quare ludos omnes haud incommodè distinguendos esse censemus, in eos, quos nuda fors regat, quales sunt certi tesserarum jactus, aliique his similes ludi, vel in eos, qui ex alea atque ingenio quasi mixti sunt, quorsum spectant certi chartarum lutoriarum & tesserarum lusus, in quibus, si fors præcipuam faciat paginam, *ludi aleæ*, Gallis *Jeux de bazard*, nuncupantur, uti Quinze, Pharao, multique alii. Ludi autem instituuntur vel ex publica auctoritate & ad commodum majoris momenti promovendum, cui rei inserviunt Lotaria, vel ex nudo privatorum consensu. Differunt hi præterea ratione finis, nonnulli enim instituuntur spe præmii aut lucri, alii vero solius delectationis vel exercitii causa habentur. Quid de horum moralitate, si instituuntur, nobis ad seria obeunda negotia parum idoneis, nec nimis frequenter repetantur, censendum sit, vel ex iis, quæ in præfatione dicta sunt adfatim intelligi potest. In censuram a nobis jam veniunt lusus aleatorii,

) 5 (

rii, quos privati excercant, & quibus magnæ pecuniarum summæ non raro dissipantur.

§. II.

Quum ea sit indolis mortalium adfectio, ut postquam ea comparaverint, quæ vitæ necessitatibus aliquamdiu sufficiant, de consueto paulisper remittant labore, & temporis partem a curis vacuam plerique, quibus animus non prorsus morosus contigerit, otio tribuant; evidens est, quod origo ludorum, generaliter spectatorum, ipsa ferme mundi incunabula attingat. Sed simplices hos ludendi modos, qualescunque demum illi fuerint, longissimo post tempore excepit inventio tesserarum ludi, cujus originem & occasionem exhibet Herodotus. (a): Refert enim Lydos, cum gravissima annonæ caritate diu premerentur, ad fugandam calamitatis suæ memoriam, & minuendum doloris, quo angebantur, sensum, si non in totum, at tamen in tantum, excogitasse varia ludorum genera, aleæ scilicet tesserarumque lulum, & quos non alios: tali modo animam redidisse corpus famis nescium, reflexiones suas ludis dicendo, tempusque pedetentim terendo. Quam autem fidem ista mereatur narratio, quum surdas venter latrans habeat aures, aliis dispiciendum relinquimus. Mittimus etiam aliarum nationum consuetudines, & obiter solummodo observamus, quod talorum & laruncolorum ludi, inde ab antiquissimis retro temporibus, a Scandiæ populis fuerint usitati, cujus unicum adferemus exemplum. Postquam Svethiæ Rex RAGNARUS LODBROK, in potestatem Angliæ Regis ELLÆ, cujus imperii littora vastaverat, pervenisset,

A 3

(a) vide Hist. Libr. I. p. m. 18.

❁) 6 (❁

nec ab illo hic impetrare posset, ut nomen aut conditionem suam detegeret, in foveam serpentibus plenam fuit coniectus, ubi etiam miserimum in modum periit. Cum autem ELLA paullo post rescivisset, quis ferrox ille Princeps esset, quem nefariae tradidisset morti, declinaturus gravissimam, quæ ab aquilone sibi immineret tempestatem, confestim misit ministros in Scandiam, qui exulceratos Ragnari filiorum animos, si fieri posset, placerent. Hi in regiam admissi invenerunt Principes SIGURDUM, ORMÖGA dictum, & HWITSERKERUM latrunculis ludentes, (*Sittande vid knef. raffe*), & quum indignam patris mortem singuli fratres frementes inaudivissent, Hwitserkerus captivum quandam latrunculum manu tenens, mox tanta cum violentia compressit, ut sanguis ex unoquoque erumperet digito (*b*). Sed his præmissis, intra definitas instituti oleas nos post hæc continebimus.

§. III.

Hilariorum prisca & nostri ævi discrepant omnino esse rationem, nisi in Historia hospitem, fugere potest neminem. Ut enim alia diversitatis momenta silentio prætereamus, illa a serenitate prorogata, nostra autem pleaque a continua fere varietate commendantur. Prandium enim in ædibus præsertim elegantioribus vix est finitum, vix etiam sapidæ ac succulentæ dapes nec non salerna vina vitalem corporum calorem auxerunt, & humanitatem animis ita instillarunt, ut singuli convivæ in ingenuam propendeant familiaritatem, quum, remotis majo-

(*b*) vid. *Hist. Ragnari Lodbrock a Cel. Bjornero edit.*
p. 53 & 54.

❁) 7 (❁

majoribus mensis, minores apponuntur, quibus singulis duo plerumque impositi sunt libri solutis foliis, & forma quidem minima, sed ad quorum adspexit exporrecti convivarum vultus rugas mox contrahunt: joci & festiva acroamata sensim cessant, adeo ut simplex spectator, qui alex chartarum lusoriarum nunquam interfuit, ne divinando quidem adsequi possit, quis ille sit genius, qui tantam brevi adeo temporis intervallo induxerit rerum mutationem. Loca singulis aleatoribus sorte adsignantur; quo facto, lusus incipit. Nec mora, ingenii nervi intenduntur, regulæ probabilitatis ac combinationis in subsidium adhibentur, ut quomodo rite ludendum sit innotescat. Interea obmutescunt lusores, in suas & a colludentibus projectas chartas intenti; prope gnari, quod minima inanimadvertentia magni constet, præsertim si de magnis pecuniarum summis, qualis eorum mos est, qui cæteris haberi volunt præstantiores, ludatur. Quo circa quæri potest; cur convivæ innocuam hilaritatem sponte deserant, & alex, in lusorum ruinam sæpius vergenti, sese præter necessitatem committant? Tanta videtur humani ingenii levitas, ut nullam, nisi in continua rerum varietate inveniat delectationem, quare quum vix frequentius, quam in alex vicibus, ista cernatur varietas, ludos multi ita depereunt, ut his seria quævis posthabent. Dicant autem hoc oestro perciti, an talis vitæ ratio præceptis rationis ac sanæ Ethicæ, quæ docent, animi æquabilitatem ad conservandam tam mentis alacritatem, quam prorogandam corporis sanitatem, in quovis vitæ genere esse quarendam, conveniat?

§. IV.

De moralitate tamen ludorum alex diversimode ratio-

) 8 (

rationantur Eruditi; aliis eos quidem, sed observatis circumstantiarum momentis, probantibus, aliis autem eisdem e circo proborum hominum proscriptibus. Illi nihil iniqui ludos istos continere, vel exinde concludunt, tum quod mutuo consensu in aleam ludorum descendatur, tum quod singuli rem suam æquali exponant periculo, & verentur circa res proprias, de quibus utique disponere penes nos sit (a). Et quum quilibet qui liberam rerum suarum habet administrationem, donare possit, quare ei donatio sub conditione, si eadem sit fortuita, siue ex industria dependeat, esset interdicta? Enimvero, si allata hæ rationes simpliciter valerent, ex eisdem concludere liceret, res in & per se ineptissimas, ex. gr. prodigalitatem æquitatis speciem tueri quandoque posse; quod tamen absolum. Non e quidem ignoro, quod Eruditi pomeria domini adeo laxa constituent, ut quilibet dominus rebus suis non uti modo, sed abuti possit; quod physice, quin & civiliter verum subinde esse licet non negem, eam tamen opinionem moraliter sibi constare, pernego. Omnis enim abusus illos transgreditur limites, intra quos sana nos subsistere jubet ratio; quare etiam quilibet abusus, vel citius vel serius in nostram vergit infelicitatem, ac proinde Juri Naturali est contrarius. Ergo ad officiorum tenorem sese non componit lusor, dum pecuniarum summam, quam ipsi administrandam concessit Supremus Monarcha, certo periculo ex sola sæpe animi levitate exponit. Quod ut plenius constet, calculos sequentem in modum subducere liceat: Pecuniæ summa, quam aleæ destinat lusor, aut illa est ipsi necessaria, aut non

(a) vid. PUFENDORFII jus Nat. & Gent Libr. V. cap. 9 §. 5.

) 9 (

necessaria; si illud, non modo inique, sed stolide etiam agit, quod rem illam aleæ committat, qua forte amissa, in intricatissimum quarumvis molestiarum labyrinthum incidit: sin vero hoc, humanitas jubet, ut opes istæ utili quadam & honesta ratione collocentur, adeo ut vel patria vel fortuna offensi solatium quoddam inde percipiant. Et quæ, quæso, major animi oblectatio, aut illa, mitigasse sortem hominis, meliori omnino fato digni, aut perdidisse collusorem, sua potius imprudentia, quam ullo scelere infelicem? Quibus denique addo, quod exigua sit discrepantia eorum, qui ludos aleæ siue approbent, siue improbent, ut verbis potius, quam re ipsa dissentire videantur. Illi enim ludos quidem admittunt, sed tot regulis adstrictos, ut si quisque aleator easdem exacte observandas sibi proponeret, spondere ausim, vix quempiam vel chartas vel tesseras tractaturum. Postulant enim, ludendum esse solius delectationis causa, ex libero consensu, sine omni fraude atque impostura quæ animo fingi possit, & denique, ut ludus fiat sine intentione ditescendi, siquidem nemo cum alterius damno suas augere debeat opes.

§. V.

Contendunt adhuc nonnulli, ludos chartarum & tesserarum, licet non laudandos, attamen vel ex eo capite non prorsus vituperandos, quod illi quasi expleant vacuitatem, quam multi cæteroquin in sua experirentur vita. Scilicet plures in unum convenerunt; conventus hujus causa forte cessavit, nec tamen plerisque est animus, suos repetendi lares, nec ratio diutius commorandi. Quo in casu multi, præsertim qui ab ineunte ætate laboribus non sunt adsueta, et sibi oneri & aliis

B

tædio

radio essent, nisi chartis & tesseriis ludere didicissent. An vero horum levitati propterea est consulendum? An fas & æquum, vitium ignorantia aliis cumulare vitiis? Vel an eum, qui unum propter vitium in promeritam incurrit censuram, numerus vitiorum a culpa liberet? Aut quo fundamento illa nititur Philosophia Moralis, quæ docet, hominem esse arbitrum sui temporis, quo tam uti, quam abuti possit? Certe, quum temporis collocati ratio sit aliquando reddenda Ei, qui nos in hoc orbe administratos suorum donorum constituit, idem ineptiis ac rebus ludicris nequaquam erit impendendum. Quale, quæso iudicium esset ferendum de caterva hominum, qui licet scirent se fragili impositos navigio, ad oppositum deferræ littus, ut ibidem de eorum vita ac singulis factis, exactissima habeatur quæstio, brevis tamen transitus molestias ludis chartarum & tesserarum fallere studerent? Profecto dum cordatus Philosophus merito condemnaret talem locordiam, eosque vix sui compotes esse crederet, alius vicissim ex Democriti vel Epicureorum schola prodiens, firmiter adseveraret, Philosophum ineptire, & eos, quos taxet, laudem mereri, quum quilibet, qui supra vulgus sapit, illas continuo supprimat cogitationes & instantis fati horrores, qui constantem animi alacritatem sufflaminare queant. Et certe Canonicum hoc foret argumentum, si quis modo ostendere valeret, hominem nullius subesse imperio, nec cuiquam adstringi ad dictorum & factorum suorum rationem reddendam. Qui vero hæc ostendere tentaret, absurditatum labyrintho ita sese implicaret, ut nullum inde egressum inveniret. Denique dum illa in conventibus vacuitas, qua multi propemodum conficiuntur, est explenda, quam scite ne hæc tollitur, multum ratiocinando de hac vel illa projecta charta? Quæ, quæso, vitæ emendatio, aut quæ in nego-

negotiis, quæ nobis incumbunt, expediendis facilitas ex tali colloquio est expectanda?

§. VI.

Sed ne causa sua cecidisse ille videantur, qui memoratos ludos non prorsus improbant, alio adhuc rationum furo eosdem incrustare solent; contententes, ludis istis, nunc frequentioribus factis, humanam indolem in meliorem fuisse mutatam, & superiorum temporum ferocitati placidiores successisse mores. Quis enim, ita arguantur, ignorat, vel quod majores nostri suas comestationes & symposia non in longam solum noctem, sed in plures interdum dies protraxerint, vel quod in eorum conventibus, quum nihil haberent, quo tempus fallere possent, fama absentium interea, dum a scyphis vacarent Herculeis, variis exposita fuerit calumniis. Contra ea cum nostri avi prandia etiam lautissima intra paucas horas communiter absolvantur, & quum reliquum tempus, ludis pagellarum vel tesserarum impendatur, convitiis omnis interclusus videtur locus. Fatemur, Majores in suis conviviiis mero ac dapibus, ultra quam debuissent, non raro indulgisse, qui tamen hoc vitium ludis alex, nostro ævo familiaribus, non auxerunt. Sed molliter Majorum nostrorum ossa quiescere sinamus, & hodiernam convivandi rationem contemplemur; quo facto, mox inveniemus, quod quanto magis prandia nostra a Veterum simplicitate recedant, & quanto frequentius ac majori sumtu, ut nostro convenient palato, parentur, tanto minus sanitati conservandæ inserviant; id quod non in theoria solum, sed ipsa etiam re verum esse, valetudinarium, quo degimus, seculum satis ostendit. Insuper Satira nostro tempore nihil

de suo remittit rigore, quin potius plures nunc, quam olim inveniuntur Momi, qui non privatim modo, quod veteribus obijcitur, aliorum facta ad censuram revocant, sed qui in publicis etiam foliis tam inepta & iniqua aliorum facta, quam minus apposite dicta atro notant carbone. Porro qui a nobis in presenti dissentiant argumento, in robur suæ opinionis illum, tacite saltem, insinuare volunt canonem: quod ex duobus malis minus sit eligendum, & quum ludi nominati impediunt aliorum obrectationes, eosdem tolerandos esse censent. Sed neque hoc ariete nostra convellitur sententia; quum enim allatus canon de malis Physicis non nisi in casu necessitatis, et de moralibus nunquam valeat, & tam ingluvies, quam famæ aliorum obrectatio, quin & omnes ludi aleatorii, quibus ut mox ostendemus, non privati tantum homines, sed integræ non raro familiæ in ultimum amittendorum bonorum discrimen vocantur, officiis nostris repugnent, ineptus est dissentientium in sua causa concludendi modus.

§. VII

Si itaque causam ludorum alex penitus consideremus, satis deprehendimus, eandem non esse quærendam vel in liberali quodam oblectamento, vel in antidoto contra ingravescentem intemperantiam & aliorum obrectationes, sed quod ex avaritia suos repetat natales. Cupiditas augendi suas opes & suas insimul commoditates, quæ non minimam felicitatis civilis partem constituunt, singulis hominibus est connata; sed media ad hanc votorum metam perveniendi pro ingeniorum diversitate variant. Vix autem datur expeditior quædam ratio, magnas opes breve intra tempus & citra operosam

sam curam obtinendi, quam per ludos alex, dum secunda conatibus adspirat fortuna, & quare quis, alex nondum jacta, ipsam sibi malevolam ominaretur? En! quomodo avaritia spe insignis lucri plures lusores ita fascinat, ut bona sua alex temerarie committant. Quod quam sit veritati consentaneum, vel suo nos exemplo docent infantes molliter educati, & quibus ludos chartarum inde a teneris permiserunt parentes; illi enim, si sine ullo proposito ludant lucro, tumultuaria prorsus ratione suas tractant chartas, sed quæ confestim mutatur scena, & tacite magis atque ad artis regulas instituitur ludus, si vel numerus acuum (knappnäklar) vel alia dexteritatis insignia victorem maneat. Eadem prorsus inter maturioris ætatis homines est ludorum ratio, quo majores enim pecuniarum summæ exponuntur alex, eo magis intenditur attentio & excitatur acquirendi studium. Præterea sicut lusor, qui a fortuna destitutus notabilem fecit jacturam, sua sorte non est contentus, ita is, saltem intra se, ovat, qui crumenam numis distentam domum reportat. Unde satis liquet, ludorum alex quasi animam esse avaritiam, quam plura vitiorum genera, ceu totidem pedisequæ, comitantur.

§. VIII.

Continuemus adhuc, quoniam incepimus, animadversionum nostrarum in ludos alex seriem, & symptomata horum moralia ad veritatis lampada contemplemur; quo facto constabit, ipsos invidiæ atque internecinis subinde odiis materiam & occasionem præbere. Opes enim suas, ut felicitatis adminicula, nemo non amat; quare sine atræ bilis commotione vix intuetur illum, cui ultra spem inter ludendum ita favit fortuna, ut col-

lutorum bona obtinuerit. Quid? Quod, quo majorem
 ceteri faciant jacturam, eo acerbius in felicem exaspe-
 rentur collusorem, adeo ut in desperationem saepe con-
 versi non dubitaverint ei, domum reversuro, insidias
 struere, & amissa violento modo eripere; qui proinde
 felicem sese censuit, si ex ultimo hujus scenæ actu vitam,
 ceteris direptis, servare potuerit incolumem. Sed ini-
 quissimum hoc esse factum, dicet forte quispiam: fateor
 omnino ita esse; si autem merito damnemus effectum,
 vindictæ acerrimæ cupiditatem, cur non improbamus
 ejus causam & occasionem, ludos. Esto autem, mora-
 tiores esse collusores, quam ut tantum concipiant odium,
 nihilo tamen minus lusori vel semper vel ut plurimum
 felici sinistra ista adhæret suspicio, quod ea, qua dece-
 at, integritate non ludat. Quid autem quæso communi-
 ter facere solent infelices lusores, sed quos vel ambitio
 vel spes lucri exagitat, dum suspicantur, ceteros non suæ
 peritiæ, sed dolis, quos expiscari nequeant, feliciorum
 suam debere sortem? Dicitere solent a veterano aleatore
 stratagemata quædam lusoria, quæ quidem in necessari-
 am sui conservationem primum adhibent, sed quæ in
 consuetudinem ita sensim abeunt, ut ingenuitatis,
 in suis negotiis observandæ, ipsos tan-
 dem capiat oblivio.

Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

